

435        siqua forent maiora suis. tunc Iuppiter Arae  
 sidera constituit, quae nunc quoque maxima fulget.  
 quam propter Cetos convolvens squamea terga  
 orbibus insurgit tortis et fluctuat alvo,  
 [intentans similem morsum iam iamque tenenti]  
 qualis ad expositae fatum Cepheidos undis  
 expulit adveniens ultra sua litora pontum.  
 tum Notius Piscis venti de nomine dictus  
 exsurgit de parte Noti. cui iuncta feruntur  
 440        flexa per ingentis stellarum Flumina gyros:  
 alterius capiti coniungit Aquarius undas,  
 <alter ab exerto pede profluit Orionis>  
 amnis; et in medium coeunt et sidera miscent.

445        His inter solisque vias Arctosque latentis,  
 axem quae mundi stridentem pondere torquent,  
 orbe peregrino caelum depingitur astris,  
 quae notia antiqui dixerunt sidera vates.  
 ultima, quae mundo semper volvuntur in imo,  
 quis innixa manent caeli fulgentia templa,  
 nusquam in conspectum redeuntia cardine verso,  
 450        sublimis speciem mundi similisque figuram  
 astrorum referunt. aversas frontibus Arctos  
 uno distingui medias claudique Dracone  
 credimus exemplo, quia mens fugientia visus  
 hunc orbem caeli vertentis sidera cursu  
 455        tam signo simili fultum quam vertice fingit.

460        Haec igitur magno divisas aethere sedes  
 signa tenent mundi totum deducta per orbem.  
 tu modo corporeis similis ne quaere figuram,  
 omnia ut aequali fulgentia membra colore  
 deficiat nihil aut vacuum qua lumine ccesset.